



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 14. de charitate proximi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XIV.

Meditatio de charitate proximi.

COMPOSITIO LOCI, considerare Sanctos, ex omnium Sanctorum gloriâ, ut sua, gaudium captantes, & Christum Dominum fraternè cum illis agentem. *Oratio ut supra.*

PUNCTVM I. Considera Primò, & examina an in te verè reperias signa charitatis. Primum est, sua non inordinate quærere, suumq; commodum non spectare; Secundum, bonis proximi congaudere, & malis tristari; Tertium, bonum illius ex animo promovere cuiusvis generis, & avertere mala; Quartum, defectus ejus tolerare potius quàm quicquam charitati ac benevolentia detrudere, & sic adimplere legem Christi JESU: hoc est enim alterius onera portare; Quintum, affabilem omnibus se exhibere; Sextum, sua spiritualia & temporalia ultrò etiam & hilariter communicare. vides cur inter sæculares rarò poterit esse perfecta, nisi animo sint Augusto ac liberali? Septimum, neminem judicare temere, nemini obloqui, aut facilè repugnare. Considera Secundò, charitatè, amicitiam & concordiam esse unicum vitæ solatium, sine quâ nec animalia esse possunt: quodque fuerit omnibus bonis etiam ab Ethnicis prælata, solique comparata. Considera Tertio, quanta ex charitate & concordia commoda promanent, nullum verò ex dissensione proveniat, sed incommoda gravissima: ab illâ auxilia mutua adversus hostes, quibus undique cingimur: omnium est communio bonorum, & solatium malorum. denique ubi duo sunt congregati in nomine Domini, ibi est in medio eorum. Quid autem ibi deesse potest, ubi omne bonum Deus ipse singulari benignitate adesse dignatur, omnibusque postulatis annuere? ait enim Dominus JESVS, Si duo

Signa charitatis proximi.

Gal. 6.

Charitas est magnum solatium.

Deus est ubi charitas.

Matth. 18.

ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. *Aspira, ut sup. p. 8. Hæcine firmâ fide, &c. ibid.*

PUNCTVM II. Considera in proximo Deum, & quâ ratione ille Deo & Christo conjunctus sit per naturâ: siquidem primò opus atque imago Dei est, & servus, per gratiam verò filius ejus, Christi que frater & miles, & hospes, & templum, atque amicus tantus, ut pro sanguinem & vitam dederit suam, paratusque sit milies pro unoquoque dare si opus foret. Adde dona, fidem, spem, & virtutes, & gratias quæ in eo sunt, quæ certè negligere, & formam externam attendere, nonne turpissimum est? Indignum tot causas amoris te pretereire, & levem nævum qui te alienet, observare. Tunc agrum optimum despicias, si fortè lolium inna/citur: nummum, si non ex auro optimo? Tu te ipsum si inspexeris, plura comperies, ob quæ meritò despicias: atque id omnino futurum est justo Dei judicio, si proximum judices: ut quâ mensurâ mensus fueris, remetetur tibi. His consideratis, vide quis est à quo alieniorem te esse putes, & rationes allatas appende, amoris scilicet cum causis aversionis. *Hæcine vera, &c. ut sup. p. 7.*

Considera Secundò, hunc ipsum proximum penetrari à Deo intimè, uti & te etsi tot defectibus plenum, & omnia quæ tum in eo, tum in teipso mala sunt, conspici: attamen Deum hominem non fastidire, non deferere, imò rogare, pulsare, & cum eo conversari velle, illumque amare, ut fratrem, militem, filium carissimū, seipsum illi tradere in cibum & potum. O incomprehensibilem charitatem! Imitare & huic affectui insula.

Tertiò, considera proximum, qualis aliquando futurus sit in cælo, id est, perfectum, & virum, & regem tibiq; in omnem æternitatem verè amicissimū, ideoque nunc ut pueri infirmi, ignari, &c. imperfectiones ferendas statue. Quartò, expende veritatē hujus sententia,

Matth. 25.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, in extremo

tremo iudicio pronuntiandæ. O JESU, cum hæc sciã, & credere me profitear, poteritne fieri, ut ego servus tuus imaginẽ tuã despiciã? irascat ei, & oderim quẽ tu amas, & rã longanimitè apertis ulnis expectas? aut negabo ei propter amorem tuũ, quod tibi debeo omnino infinitis titulis, & ab aliis mihi præstari opto? O Iesu, ut inf. p. 942.

PUNCTVM III. Considera, quantum requirat Deus ut si inter homines conjunctio, ac Primò quidem ap-
Deus præcipit ut ames, negabis? Matth. 19.
 pẽde Dei præcepto te teneri omnes amare sicut teipsũ, atque hoc qui implet mandatum, legem implere, & nulli magis prodesse quã sibi, qui eam servat. Omnibus enim charus est, fruiturque perpetuã pace & gaudio, & omnibus bonis; siquidem de proximi bonis ac prosperitatẽ æquẽ gaudet ac suis. *Exerce hinc charitatem, ut sup.*

Considera Secundò, quòd non amare tantum, sed
Ioan. 15.
 ita debeamus, sicut Deus dilexit nos. Mandatum, inquit Dominus JESUS, novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. ad eò ut Joannes dicat, Et nos debemus pro fratribus animas ponere: D. Paulus verò,
1. Ioan. 3. Quomodo sit, amandus proximus. Phil. 2.
 Si quæ, ait, consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si quæ viscera miserationis: implete gaudium meũ, ut idem sapiatis, eandẽ charitatem habentes, unanimis, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantis, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. *Aspirate, ut sup. pag. 8. Hæcine firma fide, ut sup. pag. 8.*

Considera Tertio, sic voluisse Dominum JESUM conjunctos esse homines inter se, sicut Pater & Filius
Quomodo oporteat conjunctos esse inter nos. Ioan. 17.
 unum sunt. ita enim oravit abiturus in cælum, Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. Vide an hanc unionem imitere, & imitationis affectui insiste.

N n n s Con-

Considera Quartò, communem hostem esse qui diffidia civilia inter nos molitur, quantaque iniquitas sit, cum illo in aeternam perniciem meam & fratris conspirare, concordiaque unitas vires esse invincibiles. *IESV CHARITAS, ut infra pag. 942.*

Quintò, perpende mensuram, quâ diligimus proximum, esse eam, quâ Deum diligimus; adeoque necessariam, ut Apostolus dicat, Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, & cymbalum tinniens: & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiâ: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *O IESV CHARITAS, ut in f. pag. 942.*

*i. Cor. 13.
Mensura
amoris pro
ximi est Dei.*

Ephes. 4

*Quanta
unio requi-
ratur.*

PUNCTVM IV. Considera, quali vinculo conjunctos nos esse oporteat proximo, ex illo loco, Obsecro vos ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum humilitate & mansuetudine, cû patientiâ, supportâtes invicem, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. unum corpus, cujus caput Christus, unus spiritus, scilicet sanctus, & amor. Itaque vide, ut membra unita se ament, & an tu sic tuum proximum. deinde vide quanta unio esset, si anima una, seu spiritus te & proximum informaret: tanta enim procul dubio inter Christi membra meritiò esse debet. Addit verò Apostolus, In unâ spe vocationis vestræ: vocati enim sumus omnes ut Deum amemus, & serviamus ei, ibique præmiû expectemus, ubi omnes gaudent de bono alterius æquè ac suo; ubi in aeternum erimus concives illius Ierusalem, & domestici Dei. Et quid, quæso ô frater, an verbû, an offensio, an injuria aliqua à charitate nos poterit separare? Vna nobis fides est, doctrina & lex, & mediâ omnia ad salutem, unum baptisma, per quod eju-

dem

dem nationis, immò patris filii sumus; eodemq; Christi sanguine abluti, cætera quoque omnibus Sacramenta communia; unus omnium cibus corpus Christi, & potus sanguis ejus; unus Dominus omnium, qui ex uno omnes homines produxit; unus Deus, gubernans & regens omnia; unus mediator, Pastor, dux, & signum militiæ, Magister, & Dominus; denique idem Pater omnium. Numquid, inquiebat Propheta, non pater est unus omnium nostrum, quare ergo despicit unusquisq; vestrum fratrem suum? Postremò mater omnium eadem Ecclesia, & (si Religiosus es) Religio, ex quo capite omnia bona & mala communia sunt, omnia similia, vestis, victus, &c. Estne credibile ubi tot sunt charitatis adminicula, ejusque tanta præstantia, fieri posse ut ob frustum terræ, & res nihili illa contemnatur? *Exerce hinc charitatem, ut suprâ. vel ut infrâ O JESU charitas, &c.*

pag 942.

PUNCTUM V. Considera Primò, si proximus te lædat, nonne eo ipso satis miser est, cum tu vindicem habes Deum, apud quem talis pœnæ reus est, quam nemo crudelissimo hosti optaret? & hæc non tibi sufficit, sed insuper ulcisci vis & irasceris, &c. *Credo tibi, ut sup. pag. 7.* Imò jam tanto gravius ille punitus est à se, quo vulnus & mors animæ graviora sunt vulnere & morte corporis; atque ita verè magnâ commiseratione potiùs dignus est, eoque majore, quo minus cognoscit. Secundò, vide quanta incommoda in omni societate, & familiâ, & animâ ejusque potentiis talis hominis. defectu charitatis oriantur. Tertiò, quantum scandalum sit si Christianus, multò magis, si Religiosus, alienum se ab alio gerat, ab alio dissentiat & contendat. Quartò, attende Sanctos omnes, & Angelos esse ejus quem odisti sinceros amicos, maximè Angelum custodem, & Deum opt. max. cur igitur tu non es? Cave, cave, tangere Christum Domini & pupillam oculi ejus. Quintò, vide quàm turpe non amare inimicum propter Dei

volun-

Omnia ad unum referuntur & charitatem.

Malach. 2.

Lædens aliū commiseratione dignus.

voluntatem, quem amares ob leue beneficium, vel ob leuem reparationem injuriæ. Sextò, dic mihi, velle esse Deum odisse tuum inimicum, vel alienum ab eo esse? ergo nec tu oderis, nec alienus esto. Septimò, vis aliquando tandem conciliari? cur non modò? nunquid diligendo faciliùs, quàm odio vinces inimicitias? & quid ex his tibi vis? fratri & proximo malè? & tibi nonne eo ipso pessimè? de bonis ejus vis dolere, & cruciari iis quibus ipse gaudeas, cum possis congratulare? Eo magis certè si improbus sit gaudebit, quo certius noverit se bonis gaudere, quibus frustrà tuinideas. Vide, precor, quanta infania. O charitas infinita, Deus meus, ne permitte, obsecro, ut malitia mea crescat, ut post tot rationes, ob verbulum & nummulum, filios tuos offendam, auerfer, ac præceptum ablatum violem. Sanguis tuus, quem fudisti, molliat durum cor meum, ut diligam te ex toto corde meo, & proximum meum sicut me ipsum, propter te ad gloriam nominis tui. Amen.

Exercitium.

OJESV, charitas immensa, Deus meus, qui nos sic amas, atque ubique nobis adstas, & sustentas, quis è Sol in firmamento, quis potest se abscondere à calore tuo? quæ poterit glacies cordis reperiri, quæ non liquefiat hoc amore & sanguine tuo? Mitte, mitte de excelso ignem in ossibus meis, tu, cujus ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem. Tu, qui dilexisti me & proximos meos, & lavisti in sanguine tuo, da mihi te diligere ex toto corde, & proximum propter te, ut filium tuum, ut fratrem, amicum, & membrum tuum. talem eum dignatus es efficere, atque ad eum afferre, quod mihi, quod ulli etiam inimico tuo sit, tibi fieri, & cum qui nos tangit, tangere pupillam oculi tui. Absit ergo ut unquam pro ille, vel ille aversionis dederit occasionem, & hoc ipso vultu meo, si unquam se fecerit, propterea eum auerfer, & ne per summam dimentiam sponte ledam, cum communi hoste conspirem, contra illum & me, imò contra te & præcepta tua, quæ pro nobis amantissime

Isaia 31.

p̄ssimè condidisti. Scio, scio, si diligentes tantum diligam, cum etiā *Matth. 5.*
 Ethnici & Publicani hoc faciant, mercedem non habiturum me,
 neque te patrem, qui finis solem tuum oriri super bonos & malos;
 & plus super justos & injustos. Absit igitur ut ulli malè velim,
 de ullo loquar malè, aut charitatis signa negem, quin potius ul-
 tro offeram, ut te sequar, qui cum adhuc inimici essemus pro no-
 bis mortuus es. O Pater celestis, cupio filius tuus esse per gratiam
 tuam, & cupio in aeternum. Signum hoc tuum, bone IESV, hoc
 gerere volo, ut sciant omnes quia discipulus tuus sum, qui non
 tantum pro injustis etiam mortuus es, sed & ingratos nos tuos fi-
 lios & fratres pascis tuo corpore & sanguine, qui cum maledice-
 reris non maledicebas; tradebas autem iudicanti te injustè. Si tu
 posuisti animam tuam pro me, ego gratia tua pro te & pro pro-
 ximo ponam, nullas unquam aliam inimicitias; sed dimittam
 debitoribus meis, & dimitto coram curiâ tuâ, ut tu mihi, cui
 millia talentorum debeo, dimittas: & dimitto de corde meo, ob-
 sequium atque amorem, eiusque singularia signa prestare volo
 maximè adversarijs meis. N. quia non ille me, sed te bone IESV,
 & pupillam oculi tui, & ego me sponte meâ ego me laesi; illi osten-
 derunt me mihi, qualis essem, amator scilicet mei, qui ne quidem
 verbum unum pro te pati equanimiter possim, pro omnibus dolo-
 ribus & beneficijs tuis, pro tot peccatis meis. Quis id credat de
 me Christiano? Vbi est ergo amor meus? ubi fortis ut mors dile-
 ctio: dura sicut infernus emulatio? amor certè ubi est, operatur
 & patitur: si operari & pati recusat, amor non est. Ecce vi-
 deo quanta sustineantur pro amore pecunie & forma vanissi-
 ma! dies pauci videntur, & labores parvi pro amore, &
 mihi quidquam durum erit agere aut pati pro te & chari-
 tate, quæ est vinculum perfectionis, finis legis, & major omnibus
 holocaustibus & sacrificijs? O charitas immensa, Deus meus,
 concede mihi ut maneam in te, & tu in me: qui enim manet in
 charitate, in te manet, & tu in eo. Et qui manducat tuam car-
 nem & bibit tuum sanguinem, in te vivit & tu in eo. Iam non
 miror, ô IESV benignissime, dicere Psalterium tuum. Ego dixi
 dñs estis, & filij excelsi omnes; panis enim quem nobis das,
 caro tua est pro sæculi vitâ. O Rex regum, ô Majestas infinita
 dignare

Marc. 12.

Applicatio
 ad Com-
 munionē.

Bern. ferm.
24 in Cant.
Detractor
quid agat
& quam
nocens.

Bern. ferm.
de Tripl.
custodi.

dignare me presentia tua, & vilissimum illud domicilium cordis mei non despicias; est enim contritum & humiliatum. & ambulat ad te, & requiescere non potest nisi in te. Concede, obsecro mihi, ut numquam verbo, neque lingua offendam proximum meum, omnis enim qui detrahit, vacuū seipsum prodit charitate, & ferit eam in omnibus qui se audiunt lingua malefica, & quantum in se est, necat funditus & extinguit. Fodit etiam hoc corpus tuum, & membrum de membro, nec jam exanime solus, sed facit exanime fodiendo. ipsis quoque nocentior est spiritus, quam illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis illis manibus tuis & pedibus consummatio Iudaica iniquitatis infligit. Averte igitur hoc à me, benignissime JESU, & laudet te lingua mea, si quae ipsa lignum vitae mortuis, & solatium afflictis, & benedicat tibi anima mea omnibus diebus vitae meae, Amen.

Praxis ad charitatem erga proximos fovendam.

*Suspiciones
visanda.*

PRIMÒ, cavere diligenter admodum oportet ne radix aliqua amaritudinis aut fibra suspicionis in animam nostram serpens incipiat. Vix credi potest quanta ex levi suspitione nascatur sopor animorum alienatio, crescit in odia magnamque flammam, èò quòd scintilla diffensionis extincta non fuerit. Hæc accensio dæmonis astutia est, quæ conatur inter se conjunctissimos separare. Presentissimum hujus mali remedium charitas est, & magnitudo animi. Si enim suspitione nata in te adires proximum, & jam non malum in bono vinceris, sed etiam malum suspitionem; multa mala in semine opprimeres: quæ ubi adoleverunt, ægrè eradicantur. Ex charitatis igitur lege omnia in bonum interpretare: charitas enim non cogitat malum. Sæpe stultissimum est fingere sibi hostem, & solam suspitione talem efficere.

*Omnia in
bonum in-
terpretari
oportet.*

*Ne contra-
dic facilè.*

Secundò, nulli facilè contradicere. Nihil enim ut B. Ignatius dicere solitus est, tanti est, ut detrimentum charitatis possit compensare. Ideoque hortatur Sapiens, Fili in mansuetudine opera tua, & super gloriam hominis diligeris.

*Civilis con-
versatio
laudabilis.*

Tertio, beneficiis prævenire atque honore, sed vel maxime amore, nulla est major ad amorem invitatio, quam amore prævenire: alio quam se, amor non emitur. ideoque civilis & amabilis conversatio & charitate gignit & fovet; ruit ca atque asperitas etiam quos natura, aliaque multa nomina conjungunt. *Quarto,*

Quartò, examina te, an signa charitatis, quæ Apostolus ad Corinthios commemorat, in te reperias. Charitas, inquit, patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Quintò, Opera misericordiæ exerce. Sed observa obsecro ut corporalia quantum potes sic conferas, ut simul etiam aliquid spirituale ingeras, ijsque velut esca utaris. Nunquid enim quem pavisti pane terreno hortari potes ut utatur cælesti? Cur quem vestisti terrenis, commone omittis ut induat IESVM & pietatem? quia autem captivi ut infirmi maximè idonei ad semen bonum verbi Dei suscipiendum; ideò adverte quæso ut ad ægros maximè periculosè laborantes, omnimodò accurras; eosque soles & juves, ut infra in præparatione ad mortem declaratur. De tribus verò cum iis age; Primò, de assicuranda anima per confessionem, pœnitentiam & communionem, idque exemplis allatis. Secundò, de temporis mercatus habendâ ratione per devotionem & indulgentias. Tertiò, de bonorum dispositione. Nulla huic officio functio est præponenda. Concio etiam plurima, studium & quidquid est, lucro huic cedit. Quoties concionator toto anno laborat, & quam sæpè paucos convertit! Et nec dum tamen in portu eos statuit ut in morte sit: seminat non metit, uti hoc casu, oppugnat hostem non vincit uti hic: hortatur ad bonum, sed hic impellit, ibi curat ad tempus ægrum, hic æternum: ibi operam ludit sæpè, hic rarò.

Sextò, Carcer etiam pietati idonea palæstra; Fac intelligat captivus Primò, non se solum, scriptum enim, cum ipso sum in tribulatione: & verè omnes sumus in magno mundi carcere & parvo corporis. Deinde sciat à quo illi hoc malum, & discat à Deo esse & apud eum Primò causam agat. Dominus, ajebat Job, dedit, Dominus abstulit, & David ait: Dominus dixit Semei ut malediceret David. Quo fine captus sit videat; fortè quo fera, ne cui noceat, vel aliàs ut laceranda canibus aut lupis Regiæ mensæ apponatur. Custodia illi est ergò non carcer, & ad omnem virtutem stadium, ut daret in religiosis spontè carcerem ineuntibus, & eremitis. Hic prælusère omnes ferè martyres à Joanne Baptistâ inchoando. Fortè etiam ut furiosus detineretur ut sibi restituatur, & parcat. Si causam ignorat, exploret cum B. Ephrem, cujus est illustre exemplum. Porriò curandum ut in omni carcere sint libri pii, & historiæ, quos legat quispiam etiam conductus. Secundò, Imagines piæ. Tertiò, Sacellum

1. Corint. 13.

Examē Charitatis.

Nota bene. Corporalia quomodo præstanda.

Ægris & moribundis juvandis insiste.

Incarceratè quomodo juvandi.

Nota. Vide Radegundam.

cellum. Quartò contra otium opus sit, & occupatio. Quintò, contritio in communi loco, manè & vesperi recitari posset, & examen institui. Sextò, si cætera adsint, etiam exercitia in co fieri possunt S. Ignatij, ut factum scio. His excultus in Hispania quidam, & supplicium morte maturâ evasit, & sanctus habitus. Ita illis exercitatus suspiriis, lacrymis, cilicis Deum placarat, non enim punit Dominus bis in idipsum. Septimò, animas in purgatorio ex charitate sedulò cura, his enim semper prodest oratio, & tibi gratissimæ erunt. Itaque indulgentias applica, & fac ut in promptu habeas faciles modos applicandi illis indulgentias, ut mox auditâ morte eas suffragis tuis abjuves.

Nota bene.

Exercitium breve pro incarceratis.

O Iesu, verè tu mihi ades, dixisti enim: Cum ipso sum in tribulatione: tu, Dominus, mihi es Adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo, quid dico? quid inquam tu facias mihi. Tu enim vii in lat mundi carcere, & corporis constituisti me, & in eum descendisti pro me, & in hoc me esse vis tecum, & tot millibus Sanctorum quibus hæc palastra virtutis fuit, & quorsum? ut redeam ad te, ut adhæream tibi, vel compulsus. Gratias itaque tibi ago, & fateor, merentur hæc peccata mea, ob qua ex amore tui doleo, & condono tui qui nocere mihi volunt, ut à te mihi cupio condonari, & resigno me sanctissimæ voluntati tuæ, cerò enim scio non patieris me tentari aut vexari supra id quod possum, & nosti quâ viâ me ad te perducere velis ad regnum tuum. Tu per crucem, bone Iesu, Rex meus, iuvisti & tormenta, & ego quid querar? multis carcer custodia, asylum, via secunda ad vitam, & te cui credo, in quem spero, quem toto corde diligo, Amen.

JACVLATORIÆ.

Ioan. 15.

1. Cor. 13.

Matth. 24.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem non habeam factus sum sicut as sonans.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

CAPVT XV.

Meditatio de Inimicis, & iis, qui nobis ad-versantur, diligendis.

PRÆLVDIVM I. Statue te coram Deo instar rei dignæ majestatis, unâ cum proximo.

PRÆ